



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Franciscus Maria Basilicae Sanctorum duodecim Apostolorum Cardinalis
Brancacius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

muni omnium hoste victoriam reportauit. Nudus cum nudo
 iuctabatur, nec vnde teneretur habebat, qui, quod solum illi
 remanserat, cubili etiam pauperi domestico donato, in alieno
 recubuit, dum Deo sanctam reddidit animam, qui coronam
 iustitiæ redditurus erat ei iustus Iudex. Hac redimitus regnat in
 coelis. Remanet, vt Sanctorum debita veneratione colatur in
 terris. Hoc iure optimo expectatur ex Vicaria Dei potestate,
 à Sanctitate Vestra promendum, ac decernendum.

Hieronymus Tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim Cardinalis Columna.

Hesperus Hesperia vltimæ B. Thomas de Villanoua, Beatif-
 sime Pater, Phosphorus tandem assurgere debuit, vt non
 tantum nobis luceret per noctem, sed clara die spectandus, to-
 tum terrarum Orbem fulgore suo illustraret. Hæc igitur prima
 lampas ardentissimæ charitatis in specula Diuinitatis appareat,
 & quæ mortales tantis beneficentiæ influxibus cumulauit, ab ijs
 nunc humillima venerationis officia consequatur. Vt enim de-
 cernatur aliquando sanctissimo Viro titulus sanctitatis, vitæ
 innocentia primo inuitat, poenitiæ opera suadent, miracu-
 lorum frequentia imperat; sed prodigiola charitas cogit.

Franciscus Maria Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum Cardinalis Brancacius.

Beatus Thomas à Villanoua Archiepiscopus Valentinus, vir-
 tutibus licet, ac miraculis, quibus magnificatus est vehe-
 menter, summo opere coruscauerit, se tamen maiorem reddidit
 illum, charitas erga proximum, & dilectio; Nequæ enim quis-
 quam magis Beatus, teste Ambrosio, quam qui intelligit super
 pauperis necessitatem, & infirmi, atque inopis ærumnam. Vnde
 Eleemosynarij inter mortales cognomentum, & speciale inter
 Coelites præmium est, vt credimus cōsecutus. Cumque fecundus
 sit ager pauperum, ait Augustinus, citòque reddat donantibus
 fru-

fructum, hinc non absque Diuino consilio factum existimo, quod intra centum annorum spatium, ex quo in Domino obdormierat, præ multis alijs antiquioribus Dei seruis, & Beati meruerit obtinere titulum, & si infallibile S.^{us} V.^{us} iudiciū accesserit, Sancti denominatione decoretur. Quod ritè iureque fieri posse censeo, vt sic tanquam lucerna in caliginoso loco luceat omnibus, nosque imitari non pigeat, quem celebrare delectat.

Videricus tituli Sanctæ Anastasiæ Cardinalis Carpineus.

Beatum Thomam de Villanoua, qui in sæculo ab ineunte ætate, non exigua sanctimonix luce coruscavit; qui assumpto religiosæ vitæ instituto sub Regula Magni Patris Augustini, ita omnibus morum disciplina, & eximijs virtutibus præluxit, vt videretur quasi ignis esulgens, & thus ardens in igne; qui in Archiepiscopali dignitate, quam inuitus accepit, quasi Sol refulsit in Templo Dei; in quem intuentes Ecclesiarum Pastores, omnesque Ecclesiastici viri heroicarum splendore virtutum obstupescunt, & inaudita charitatis ardore inflammantur; dignissimum esse, Beati simè Pater, qui Ecclesiæ Catholicæ, vniuersæque Mundo splendeat è Cælo, voce tua in numerum Sanctorum coopertus, iudico; sciantque omnes, & credint, eum, qui, præsertim amore pauperum, nec sibi letalium, in quo moreretur, reliquit, domum iam habere ditissimam, non manufactam, æternam in cælis.

Marcus Antonius Tituli Sanctæ Mariæ de Pace Cardinalis Franciottus.

Vt à Diuina in Terris Sapientia enunciatum accepimus, duo sunt, quibus Christiana perfectio præcipuè nititur, atque concluditur: amor in Deum; & in proximum quemque benivolentia. Vtrumque egregiè præstitit Beatus Thomas de Villanoua: alterum studio precum maximo, commodorum nullo